



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

Pars 3. de observandis sub Meditatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

pum collimat antequam sagittam emittat. Alienas denique cogitationes tantisper sepone: ingressura ad Deum nunquam gratior quàm cum sola compareas: Isaaco in agro meditabundo Rebecca occurrit: *Egressus fuerat ad meditandum in agro: occurret* Gen. 24: & tibi desiderium virtutis, sensus pietatis, spiritus devotionis, si & tu egrediaris è tuorum negotiorum tumultu turbisque cogitationum: Isti Cameli sunt qui Rebeccam, id est, perfectionem ejusque divitias advehunt: *Cumque elevasset oculos vidit camelos venientes procul, habet textus. Dic itaque cum illa: Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, soli & extra strepitum omnem.* Cant. 7: 11.

P A R S I I I.

De Observandis sub Meditatione.

Dicit Sponsa à suo Dilecto introductam se in Cellam Vinariam, ibique ab eodem in se ordinatam charitatem: *Introduxit me in Cellam Vinariam, ordinavit in me charitatem.* Quod si secundùm literam accipiatur, mirum videbitur in cella Vinaria & potu, ubi is ut plurimum amittitur, ea peracta quæ sapientem & præsentem sibi animum postulant: ideoque non literaliter, sed de Mysticâ intelligendum, quæ Meditatio est, cujus Vasa sunt Puncta Meditationis, Vinum autem affectus & proposita quæ ex iis depromuntur, verè vinum quod inebriando animam terrenarum voluptatum oblivionem infundit, interiora arefcentis conscientiæ humectat, & ad quoslibet virtutum actus audaciam sanctam communicat: verè

Ps. 103: 15. *Præclarus calix inebrians: verè vinum, quod lætificet cor hominis.* Quæcunque autem Virgo in hanc *Cellam Vinariam* introduceris, sciendum tibi charitatem, quâ te à vitiis & imperfectionibus expedies atq; ad virtutes exstimulabis, debere in te esse ordinatam, gemino puncto rationem te docebit hic discursus.

PRIMUM est, ne nimis diu inhæreas considerationibus intellectus, sed ac primùm per eas commotam sentis voluntatem ad hujus affectus progredere, iisque immorare quousque licet. Ad excitandum ignem tam diu ferro percutitur silex, quousque in superpositam materiam favillas disperferit, illaque eas exceperit, flammâ autem excitatâ deponitur igniarium, quia non ampliùs necessarius ejus usus, & igni assidens qui frigidus erat sese calefacit, vel eâ in cibum præparat, quæ necessitas requirit: Igniarium Animæ est Meditatio, in quâ per intellectus considerationes ex objecta materia quasi silice eliciuntur, & tanquam ferro excutiuntur favillæ piorum affectuum, ut iis accendatur ignis amoris, quo incalescat anima, ubique præparet quæ vitæ spirituali sunt necessaria, de quibus

Ps. 38: 4. *Psalmes: In meditatione mea exardescet ignis.* Excitato autem hoc igne in corde tuo, ulteriùs occupari intellectum non jam necessarium aut utile: sed igni te appone, omnem animi torporem & frigiditatem cordis excutiat propellatque charitatis igneæ flamma accensa: præpara cum ea quæ languidum & famelicum spiritum confortent ac reficiant, id est, diversos affectus provoca aut sponte erumpentes foveat mora diuturnior, nullâ hîc opus festinatione. Ubi Maria, Intellectus scilicet sedens secus pedes Domini audierit Verbum illius, & hæc illud Martha

forori suæ, Voluntati scil. intimaverit, satisfecit illa officio suo, nec cogenda est ad amplius ministerium: huic nunc soli hîc fatagendum nec timenda reprehensio: cessant namque media sine obtento, qui in Meditatione, ut p. 1. dixi, est commotio voluntatis, cui subserviunt discursus intellectus.

Moyse sitibundum populum refocillaturus virgâ suâ bis silicem percussit, & egressæ sunt aquæ largissima, ita ut populus biberet & jumenta. Ut aquam eliciat percutit petram, aquâ jam effluente manum cohibet, & ad aquam omnes properant quò sitim sedent: in Meditatione percutis silicem cordis tui, quò aquam elicias piorum motuum, desideriorum ac propositorum: intellectus considerationes hîc ictus sunt: si ad primum ictum, id est, intuitum non profluant, eum itera: ubi autem emanarint, ab eo cessa, ad illa propera, lava ibi & elue maculas ac sordes, quibus animam tuam vides infectam, actibus contritionis, eamque arescentem humecta per nova proposita & efficacia desideria. Urbem Jerichuntinam obsessurus & expugnaturus Josue dux hebraici populi misit duos exploratores cum mandato: *Ite & considerate terram urbemque Jericho*: quo facto Josue 2: omnem ei admovit exercitum, omnesque vires, ut 1. eam subigeret, quod & præstitit: Jericho sunt vi- Ibid. c. 6. tia tua & imperfectiones longâ consuetudine munitæ: vis eas expugnare & à fundamentis eruere? Josuen imitare, tanquam exploratores præmitte intellectus considerationes, quibus de iis edocearis quomodo & quâ viâ delendæ sint: quo cognito: in earum excidium admovendæ sunt omnes vires voluntatis, exploratores sequantur milites, notitiam

opera: quod & in acquirendis virtutibus observandum: *ite & considerate terram.* Occurrit exempli gratiâ, ut dicta practicè explicem, materia de Christi mansuetudine inter medias, carnificum suorum blasphemias orantis: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*: consideras ibi Creatorem à creaturis, Dominum à servis, Medicum à phreneticis, tam multa indigna inter tormenta media audire, & tamen tanta uti mansuetudine, & cum excusatione veniam iis exorare: idque voluntati proponis imitandum: hactenus suas partes egit intellectus, illa autem, si ad imitationem Salvatoris sui, & mansuetudinem commoveatur, obeat jam vices suas: doleat toties irritatam se & exasperatam vel per leve etiam verbum, proponat emendationem, cum intellectu excogitet, ubi & quando ac quomodo exerceat hanc virtutem vitiumque contrarium eradicet. Ecce hæc praxis doctorum, quæ & in aliis materiis usuvenit, familiaris Davidi: *Perfecit pedes meos tanquam Cervorum, & super excelsa statuens me: qui docet manus meas ad proelium: persequar inimicos meos, & comprehendam eos & non convertar donec deficiant, &c.*

SECUNDUM est, ne sola loquaris toto Meditationis tempore: Oratio namque, ut dictum sæpiùs, conversatio est sermocinatioque cum Deo, ideoque & is audiendus. Ea quarumdam imprudentia est seu potius impudentia, ut ei ferè numquam loquendi spatium indulgeant sibiq; solis, suis scil. intellectus actibus aut voluntatis affectibus, omne tempus vindicent: at quænorunt orationes suas colloquia esse cum Deo, & ipso attentio cordis silentio ad loquendum spatium indul-

Pf. 84: 9. gent: Audiã quid loquatur in me Dominus Deus. Dicunt

eæ cum Samuele: *Loquere Domine: quia audit servus tuus* 1 Reg. 3:
ancilla tua. Imitandi tibi sunt pueri, qui ali- 10.
 quod opificium addiscunt, ii, ubi nesciunt quomodo
 progredi debeant, ad Magistrum recurrunt, peten-
 tes ab eo instructionem: quod autem tuum ô Vir-
 go opificium? nonne ut habitus virtutum acquiras?
ut sis sancta corpore & spiritu, testatur Apostolus: in 1 Cor. 7:
 Meditatione quasi es in tyrocinio tuo sæpius sub ea 34.
 ad eum pro instructione recurre: Non est quod te
 importunam vereare, volupe namque ei in tui insti-
 tutione distineri, suo te alloquio dignari: ait nam-
 que: *dilata os tuum, & implebo illud.* Verè felices quæ 11.
 suo hîc probè funguntur officio, quæ suspensis om- 11.
 nibus intellectus aut voluntatis actibus ad vocem
 Domini norunt attendere. *Sedebit solitarius & ta-* Thren. 3:
cebit, quia levavit super se, scribit Jeremias: etenim 28.
 considerans attento tristisque oculo omnes suas im-
 perfectiones vitia ac defectus & inops consilii, qui
 ex omnibus hisce eluctetur atque emergat, *tacebit*
consilium atque auxilium à Domino præstolabunda:
fructum experta erat quæ dicebat: anima mea lique- Cant. 5:
facta est cùm locutus est dilectus meus: liquefacta est, 6.
 & ut cera liquida omnes formas recipit, ita & hæc
 omnes virtutum habitus: liquefcit autem ad divi-
 na alloquia, ad quæ & ignescit intimo charitatis ardo-
 re Psalmographo teste: *Ignitum eloquium tuum ve-* Ps. 118:
hementer, & servus tuus dilexit illud. 140.

Itaque, Virgines, voluntatem inflamment in-
 tellectus considerationes: Elizæus Eliæ pallio
 percutiens aquas Jordanis cùm ad primum ictum
 non cederent, eum iteravit, *& divisæ sunt huc* 4. Reg. 2:
atque illuc, & transit Elizæus. Idem faciendum 14.

& vobis, actibus intellectus aperiendus vobis transitus ad virtutes à vitiis, & transit: sat diu percussus, ubi ad pios affectus patet voluntati progressus. Habeat præterea & Dominus suas loquendi vices, non vult is semper discursivas Marthas & sollicitas circa frequens ministerium, quas calpat; sed requirit & laudat assidentes sibi suoque verbo attentas Marias: *Unum* quod *necessarium* procuret Martha, id est, intellectus per suas considerationes, sed quod *optimum* amplectetur Maria, id est, voluntas, assideat illa & audiat Dominum: Oritur inde vestra ignorantia in iis quæ spiritus sunt, quia aures cordis divinis inspirationibus patulas non exhibetis: rarò proficiunt amantes opinionis propriæ, homines sui cerebri: aliter Psaltes: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo & requiescam: ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine: expectabam eum qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate.*

P A R S I V.

De mentis evagatione & ariditate cordis.

c. 3.
vers. 1. **D**escribitur in Canticis Sponsæ Dilectum suum quærentis diligentia, res auditu jucunda: *In lectulo meo, inquit, per noctes quæsi vi quem diligit anima mea, quæsi vi illum, & non inveni: nec mirum, non enim invenibilis est in deliciis & sensualitatibus: surgam & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsi vi illum & non inveni, quia neque in divagationibus neque in tumultu hominum potest apprehendi. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem, num quem diligit anima mea vidistis? vers. 3.*
vers. 4. verum & hi eam ulterius remittebant. *Paululum cum*